

bus potissimum odiosis. Coccinus *dec. 129. num. 2.* Frances *cit. cap. 4. num. 139. et seq. et cit. cap. 9. num. 142.* et plures alii apud Barbosam *de appellat. verb. Utriusque jur. appellat. verb. Civitas n. 7.*

(39. An privatio Civitatis dignitate Episcopali ob occisionem Episcopi sit perpetua, vel temporalis? Variant DD. Quod sit tantum ad tempus seu temporalis, tenent Archidiacon. *in cit. cap. Ita nos 25. caus. 25. quæ. 2. num. 3.* ibi: « Hic non fuit translatus Episcopatus, sed ad tempus isti caruerunt Episcopo in penam. » Turrecremata *ibidem num. 2.* ibi: « Ad tempus suspendit dignitatem Episcopalem hujus Ecclesiæ, non abstulit. » Bellarmin. *ibid. n. 2.* ibi: « Secundum eum non fuit translatus Episcopatus, sed ad tempus isti caruerunt Episcopo. » Pitonius *cit. discept. 108. n. 34. et 35.* ubi ex Ughell. *in Ital. Sacr. tom. 8. fol. 316. n. 34. et 35.* refert sic servatum fuisse per san. mem. Urbanum VIII. occasione homicidii Episcopi Arianen. secuti die 10. Junii 1645. propter quod homicidium privata exstitit illa Ecclesia proprio Pastore per solum decursum quinque annorum, dum de anno 1650. fuit iterum proprio Episcopo provisum.

(40. Melius tamen, et verius, quod talis privatio sit perpetua, tenent Corradus *in praxi Benefic. lib. 2. cap. 8. num. 71.* Rebuff. *tit. de differ. inter privil. Rescript. et Mandat. Zerola in praxi Episcop. part. 1. verb. Episcopus vers. vigesimo primo Episcopum;* Card. Lauræa *Epitom. Canon. in verb. occidens Episcopum;* Frances *cit. cap. 9. num. 138.* Ancharan. *in cit. cap. 5. de pænis in 6. col. 3. notabil. 7.* et alii, quos sequitur Gratian. *discept. 179. num. 12.* et concordat Summarium *in d. c. Ita nos;* ibi: *Veluti dum Civitati Episcop. dignitas perpetuo subtrahitur.*

(41. Et de facto Civitas Atinensis privata fuit in perpetuum Præposito, ob ejus necem ejus culpa secutam, ut patet ex Decreto Sacr. Congreg. Episcop. et Regul. *sub die 13 Julii 1698.* quæ censuit Civitatem privandam esse Dignitate Præpositi, illam perpetuo afficiendo vicino Episcopo Aquinaten. mediante sequenti Rescripto: « Cum Sanctissimo ad mentem, et mens est, Præposituram Atinæ esse perpetuo afficiendam, seu destinandam, cum specifica provisione Episcopi Aquinaten. pro tempore firmis remanentibus omnibus, et singulis juribus, præ eminentiis, quibus hactenus eadem Præpositura usa fuit. » Unde san. mem. Innoc. XII. mediante Brevi in forma Motus proprii in sequelam allati Rescripti Sacræ Congregationis perpetuo affecit, seu destinavit Præposituram Episcopo Aquinaten. Reclamante autem Civitate apud eundem Summum Pontificem Innocentium XII. obtinuit remitti causam ad Sac. Congregationem Episcop. et Regul. Sed deinde Summus Pontifex mandavit super hac causa imponi perpetuum silentium. Noviter autem reclamante Civitate, et Clero sub die 15. Septembris 1714. emanavit novum Rescriptum pro remissione causæ ad eandem Sacram Congre-

gat. Ex audientia Sanctissimi die 10 mensis Septembris 1714. Sanctitas sua mandavit, Quod Partes deducant omnia jura sua in Sacra Congregat. Episcop. et Regul. Superveniente autem Rescripto Summi Pontificis, quod in Sacra Congregatione disputaretur, an sit concedenda aperiitio oris, non obstante alio deinde subsecuto, quod causam simpliciter remittebat ad eandem Congregationem, oportuit disputari dubium super aperiitione oris. Et eadem Sacra Congregatio sub die 24 Julii 1716. ad relationem clar. mem. Card. Casini ad dictum dubium: *an sit concedenda aperiitio oris;* respondit: *Negative et amplius.* Sic refert Pitonius *cit. discept. 108. per tot.* in qua scripsit pro dicta Civitate, et ejusdem Capitulo.

(42. Civitas triplici modo acquiritur. Primo, per Nativitatem; secundo, de jure; tertio, per Privilegium, ut notant Zaul. *ad statut. Faventia lib. 1. Rubr. 11. num. 1. fol. 226.* Cardinal. de Luca *de Præmin. in Summar. num. 94.* Ursaya *tom. 6. part. 2. discept. 50. num. 37.* ubi prima dicitur Civitas originaria; secunda domiciliaria, et tertia privilegiativa, seu ut dicit Card. de Luca *cit. n. 94.* prima dicitur naturalis, quæ sub originariæ vocabulo explicatur; secunda accidentalis, vel acquisita, quæ domiciliaria dicitur; tertia pariter accidentalis, vel acquisita, quæ privilegiativa sive occasionalis sit.

(43. Civitas naturalis, seu originaria plures subalternas habet species. Prima omnino vera, et propria tam legalis, quam naturalis est, quæ propriam, ac parentis originem in loco habet, adeo ut nulla Legis fictio vel suppletio accedat. Secunda naturalis quidem, sed quamdam legis fictionem habens, ea est, quæ provenit ex propria nativitate in loco ab extero patre, casualiter, vel occasionaliter secuta, utpote quia ejus pater non ut domicilium, neglecta originaria patria, contraheret, ibi morari contigit, sed officii, feudi, mercaturæ, aulæ, vel professionis, seu artis occasione. Quarta, quæ majorem adhuc Legis fictionem habet, ea est, cui in propria persona, et propria nativitate naturalis deest veritas, originaria vero civica paterna qualitas filio eandem tribuit originariam Civilitatem, ut patet de filio nato extra patriam patris alibi occasione solius temporalis officii, ut Judicis, Modici, Mercatoris, et hujusmodi commorantis.

(44. Hinc ex dictis patet, quod duplex originaria qualitas in eandem personam concurrere potest, una scilicet propria, et altera parentis; quamvis enim occasionaliter, vel causative extra patriam in diverso loco natus, habeatur ac si vere, et proprie in ipsa patria natales habuerit; adhuc tamen naturæ beneficium sibi non est denegandum, ut originarius Civis illius loci dici mereatur, ubi vere natus est.

(45. Civitas domiciliaria ea est, quæ per

exterum in aliena patria eligentem domicilium acquiritur. Et ista ubi quæsitæ sit, eodem favorabiles, ac odiosos operatur effectus, quos ipsa originaria, seu naturalis Civilitas producit, cum ei assimilata sit, nisi munerum qualitas veram, ac naturalem pro loci moribus, vel legibus exigat, istamque fictam non admittat.

(46. Civitas privilegiativa, quæ magis ficta dicitur, ea est, quam pro generali regula nobilitatis ad instar solus supremus Princeps concedit, eaque de Regalibus reputatur. Solius enim supremæ potestatis est fictum reddere verum, atque veri operationem ficto tribuere. Subditæ enim Civitates, et inferiores domini sine expresso supremi Principis Indulto eam solam concedere possunt Civilitatem quæ concedenti, atque ab eo dependentibus præjudicet, non autem ut personæ statum in omnibus firmet. Hactenus Card. de Luca *de præmin. in Summa a n. 94. ad 103.*

(47. Ad effectum veræ, et naturalis Civilitatis licet requiratur nativitas in loco, ad text. *in l. Cives 7. Cod. de incolis lib. 10. l. Adsumptio 6. § Filius ff. ad municipalem cum concord.* Card. de Luca *de præminent. discept. 27. num. 7.* Giurba *observ. 73. numer. 1.* Melin. *dec. 882. num. 1. et 2.* Rota *in Syppontina Archiepiscopatus, 14. Martii 1646. coram Verospio, Barbosa de Offic. et potestat. Episcopor. part. 2. allegat. 4. num. 2. et 3.* cum aliis ibi allegatis. (48. Attamen si sequatur nativitas extra patriam originariam occasionaliter, quia nempe parentes ibi morantur occasione officii, feudi, militiæ, mercaturæ, et hujusmodi, habetur ac si vere, et naturaliter natus esset in propria patria. Felin. *in cap. Rodolphus n. 14. de rescript. Menoch. consil. 80. n. 9. cum seq. et lib. 6. præsumpt. 30. n. 16. et 17.* Giurba *d. Observat. 76. Othobon. decis. 148. n. 8.* Card. de Luca *loc. cit. n. 9.* allegans ad id Rotam *in Anconitana, et in Avenion.* (49. Originarius enim, seu oriundus dicitur a nativitate propria, seu paterna, per text. *in cit. l. supra n. 46.* Jason. *in l. Hujusmodi § Legatum num. 18. ff. de Legatis 1.* Mandos. *ad Regul. Cancell. reg. 16. quæst. 40.* Lexicon juris verb. *Oriundus, Barbosa loco cit. n. 3. et 6.* cum aliis ibi allegatis. (50. Cum jus Civile indicet locum originis alicujus eum esse, in quo ejus pater natus est; *l. Adsumptio 6. § 1. ff. Ad Municip. et l. Si ut proponis 2. Cod. de Municipibus lib. 10.* Alciat. *in l. 147. num. 4. ff. de verbor. signific. Petr. Gregor. in tract. de usuris lib. 3. cap. 1. num. 15.* Campanil. *in diversar. jur. Canonici rubr. 9. cap. 8. num. 8.* Barbosa *loco cit. num. 5.*

(51. Civitas etiam per spiritualem nativitatem acquiritur, ita ut in illo loco quis dicatur ortus, ubi salutari lavacro Sacri Baptismatis fuit ablutus, quia Baptismus est nativitas spiritualis, et de ea ad naturalem validum est argumentum; *cap. Debitum de Baptism. juncto cap. Inter corporalia, de translat. Episcopor.* et in specie firmant Luc. de Penna *in l. Cives, n. 3. et 47. Cod. de Incolis, lib. 10.* ibique Amasa, *n. 47.* Gratian., *cap. 75. n. 16.*

ubi quod procedat nedum quoad spiritualia, sed etiam quoad temporalia. Paschal. *de Patria potest., part. 3. cap. 2. n. 34. in fine,* Gonzal. *ad Regul. 8. Cancellar. gloss. 9. § 1. n. 106. et seqq.* Ciardin., *c. 149. n. 12.* Merlin., *Controv. juris, c. 32. n. 22. lib. 2.* Barbosa, *de Offic. Paroch. c. 7. n. 5.* Carleval. *de Judic. lit. 1. Disput. 2. n. 111.* Navar. pluries judicatum referens in Senatu Neapolitano *in Pragmatic. 1. de Immunit. Neapol. collect. 2. n. 14.* Antunez., *de donat. Reg., l. 1. part. 2. c. 15. n. 5.* Rocca *Disp. select. c. 83. n. 4* cum aliis ibi citatis, Amostaz. *de Causis piis, lib. 4. c. 7. n. 2. et 3.* cum aliis ibi allegatis.

(52. Civitas originis non amittitur ob alterius loci incolatum necessarium, vel occasionalem, seu causativum negotiationis. Bartol. *in l. final. § Item rescripserunt, ff. Ad municipal. sub n. 5.* Altograd. *consil. 97. n. 16. et seq. volum. 1.* Card. de Luca *de Regalib. discept. 83. n. 12. discept. 97. n. 11. dis. 128. n. 9.* Rota *part. 9. recent. dec. 66. n. 23. et seqq.* et communis aliorum.

(53. Potest quis acquirere, et retinere duplicem Civilitatem, unam scilicet originis, et alteram domicilii; *leg. Adsumptio 6. § juris ff. Ad municipal.* Card. de Luca *de Præminent. dis. 37. num. 3.* Ursaya, *tom. 7. part. 2. disc. 31. sub n. 33. § Ratio est.* Rota *part. 5. t. 1. recent. decision. 137. n. 13.*

(54. Civitas domiciliaria acquiritur decennali habitatione. Rota, *p. 9. recent., tom. 1. d. 127. n. 6.* Card. de Luca, *de Præminent. disc. 27. n. 3.* Barbosa, *cit. allegat. 4. n. 28.* cum pluribus ibi citatis; maxime si sit cum acquisitione domus, ac aliorum bonorum, et supportatione onerum Civicorum; *l. Nec ipsi 1. et l. Cives 7. Cod. de Incolis, n. 2. ff. Ad municipal., l. Cives 7. Cod. de Incolis, lib. 10. c. Cum nullus,* ubi Glossa, verb. *Domicilium, de temporib. ordinat. in 6.* Menoch. *de Arbitr. casu 86. a n. 6. et lib. 6. de Præsumpt. q. 42. n. 2.* Mascard., *de Probat. concl. 535. n. 13.* Gratian., *discep. forens. c. 181. n. 10. cum seqq.* Turreblanca, *l. 2. c. 3. n. 10.* Barbosa, *cit. allegat. 4. n. 23.* Ursaya, *t. 6. disc. 50. a n. 62.* cum pluribus ibi citatis; Rota, *in Granaten. Capellanis 1. Dec. 1606. coram Card. Marquemont.* impressa per Farinac. *dec. 188. n. 1. et 2. part. 2. recent.* ubi asserit tantum domicilium probari ex anima habitandi, et permanendi, quando scilicet quis cum tota familia mobilia bona transportavit, et habuit domum apertam.

(56. In hoc enim differunt domicilium, et habitatio, quia domicilium est locus originis, vel perpetuæ habitationis; habitatio vero est commoratio in loco per accides, et animo alio se transferendi. Unde ad habitationem sufficit habitare pro aliquo tempore ex aliqua causa, puta litis, mercaturæ, studio-

rum, et hujusmodi. Ad domicilium autem in aliquo loco constituendum requiritur animus ibi perpetuo permanendi, sine quo non contrahitur domicilium; *l. Cives, Cod. de Incolis, l. 10.* Menoch. *de Præsumpt.*, q. 42. n. 2. *et de arb. cas. 87. a n. 6.* Sanchez, *de Matr.*, l. 3. *disp. 13. a princ.* Barbosa *l. c. n. 24.* et alii.

(57. Non contrahitur Civitas domiciliaria per permanentiam in Civitate per decem annos; immo nec per triginta in servitio alicujus Principis, seu alterius domini. Parisius, *cons. 53. n. 91. lib. 3.* Rota, *in Romana Beneficiatus S. Petri, 30 Martii 1626. coram Pirovano, et in Ferrarienti. Bonorum de Tassonis 18. Martii 1630. coram eod. Pirovano in vers. Quia de hoc præsupposito*, quæ est decisio 109. apud Fenzon. *ad statuta Urb. et p. 9. recent. t. 1. dec. 312. n. 17. et 18.* ubi habetur hæc ratio, quod causa habitandi diversa est ab animo domicilium contrahendi, id est domicilium non contrahitur sine animo. (58. Unde cum quis habet animum recedendi ab aliquo loco, licet per mille annos ibi habitaverit, non contrahit domicilium, seu domiciliariam Civilitatem. Joseph. Ludovic. *Perusina dec. 76. n. 1. cum seq.* Menoch. *de arb. casu 86. n. 7.* Marchin. *de Sacrament. Ordin. tract. 1. § 5. c. 7. n. 1.* Barbosa, *cit. alleg. 4. n. 5.*

(59. Præcipua autem conjectura, et præsumptio propensi animi ad acquirendum domicilium, seu domiciliariam Civitatem ea est, si quis non solum habitationem transtulerit, sed et simul secum familiam, et omnia bona sua, vel eorum majorem partem retulerit; nam ex illa habitationis suæ, et rerum suarum translatione conjecturatur, et præsumitur animus alicubi perpetuo permanendi, et ibidem domicilium, et Civitatem acquirendi; *l. Cives 7. Cod. de Incolis, l. Senatores 3. Cod. ubi Senatores cum similibus, Ursaya Instit. criminal. lib. 1. t. 3. n. 33. Ugolin. de Offic. Episcop. part. 2. c. 36. § 2. n. 2.* Marchin., *cit. tract. 1. § 5. c. 7. n. 7.* Barbosa *cit. alleg. 4. n. 27.* et alii passim.

(60. Civilitatem domiciliariam potest quis habere in pluribus locis, si in eisdem habeat domicilium, et bona cum supportatione onerum Civicorum; *l. Labeo 5. l. Adsumptio 6. § 2. et l. Ejus 27. § 2. ff. municipal.* Rota, *p. 5. recent. t. 1. dec. 177. n. 50.* Marchin. *loc. cit. c. 7. n. 10.* Ugolin, *l. c. c. 26. § 2. n. 3.* Barbosa, *loco cit. n. 37.* cum pluribus aliis ibi allegatis. (61. Unde potest quis plures Civitates retinere, et ex eis privilegia assequi tamquam Civis diversorum locorum. Rota, *part. 19. recent. t. 2. dec. 459. n. 17.* cum aliis ibi citatis.

(62. Civitas legitime acquisita cum habitatione, et solutione onerum constituit, et designat aliquem esse verum Civem, ita ut possit consequi Officia Civibus debita. Rota, *cit. dec. 459, n. 15.* Nec amittitur talis acquisita Civitas per quamdam necessariam, seu occasionalem absentiam. (63. Habitatio enim dicitur continuata etiam ad effectum assequendi honores, et privilegia, quoties relinquatur famulus ad custodiam domus, et bo-

norum tempore absentia cum supportatione onerum. Rota, *cit. dec. 459. n. 12.* Card. de Luca, *de Præminent. dis. 37. n. 4. cum seqq.* et alii apud ipsum. (64. Nec Civilitati loci jam quæsitæ fit præjudicium ex possessione bonorum, quæ sint sita extra illius territorium. Rota, *cit. dec. 459. n. 21.*

(65. Civitas privilegiativa generaliter quoad omnes effectus est de Regalibus, et pertinet ad supremam Principis potestatem, sicque non conceditur nisi a Supremo Principe. Card. de Luca, *de Jurisdictione, disc. 46. n. 10.* Menoch. *lib. 6. præsumpt. 30. n. 52.* Sessa, *dec. 90. n. 3. et 4.* Roland., *consil. 79. lib. 2. et alii apud ipsos.*

(66. Civitates non subditæ, et Domini inferiores solum in suum præjudicium, eorumque subditorum eam concedere possunt. Secus autem in præjudicium tertii suum jus ab ipsis independentem metientis. Bartol. *in l. Si Maritus 15. § Legis Juliae in fin. ff. Ad leg. Jul. de adulter. Salicet. in l. Cives n. 4. Cod. de appellat. Roman., consil. 62. n. 9.* Roland., *consil. 79. num. 16. lib. 3.* Berojus *consil. 130. n. 6. et 8. l. 1. Sessa, dec. 90. n. 3. et 4.* Salernus, *consil. 2. per tot.* Card. de Luca, *de Jurisdictione disc. 46. n. 10. et de Præmin. disc. 13. n. 26. cum sequent.* Et ratio est, quia Civitas, et formalis adoptio tertio præjudicialis fieri non potest, nisi cum auctoritate Principis, qui solus tollere potest jus tertii, ac facere verum id, quod est fictum.

(67. Unde Civitas concessa per Civitatem subditam, vel per Baronem, aut Dominum inferiorem, non præjudicat Episcopo, qui solum exigit quaedam vectigalia a forensibus, non autem a Civibus, cum Episcopus ipsi Civitati, aut Baroni, seu Domino inferiori non sit subjectus. Berojus, *cons. 104. n. 6. et 8. lib. 1.* Card. de Luca, *de Jurisdictione. c. disc. 49. n. 10.*

(68. Civitas privilegiativa concessa per totam Civitatem, seu Consilium generale, per eandem totam Civitatem, seu generale Consilium tolli debet, non autem per Magistratum particularem. Card. de Luca *de præminentibus disc. 83. n. 13.* cum aliis ibi citatis. Unumquodque enim dissolvendum est eodem vinculo, quo est ligatum, cum eadem res per quascumque causas nascitur, per eandem dissolvatur; textu expresso *in c. Omnis res 1. de Regul. Juris.*

(69. Civis naturalis, et originarius alicujus loci secundum aliquos dicitur; qui natus est etiam per transitum in tali loco, quamvis parentes ibi nati non sint, nec habeant domicilium, nec bona, nec animum ibi habitandi, sed casu ibi, aut tamquam peregrini reperti sint; unde volunt ex sola natiuitate pendere originem. Sic Felinus *in c. Rodolphus 35. de Script. n. 14.* Cravetta *vol. 4. consil. 441. n. 3.* Barbosa *in l. Hæres absens, § Proinde, ff. de Judiciis art. de Orig. for. n. 2.* Riccius *in Praxi for. dec. 289. num. 2.* Gratian. *Discept. forens. c. 75. a n. 1.* Amaya *in l. Cives 7. Cod. de Incolis, n. 43.* Narbona, *in l. 2. tit. 1. l. 4. Recopilat. gloss. 2. a n. 138.* et alii per text. *in l. Municipem 1. ff. ad*

Municipalem; et in l. Cives 7. Cod. de Incol.

(70. Secundum autem alios, ut quis dicatur Civis naturalis, et originarius alicujus loci, verius requiritur ultra suam natiuitatem in tali loco, quod etiam pater in illo loco habeat domicilium constitutum, nec sufficit esse peregrinum, aut casu ibidem inveniri. Ita Carleval. *de Judiciis l. 1. tit. 1. diss. 2. q. 2. n. 93.* Andreol. *controv. 293. n. 49.* Duno junior, *dec. 743, n. 8.* Cævallos, *Commun., q. 458 n. 17.* Sanchez *de Matrimon. l. 3. disp. 23. n. 3.* Trullench. *l. 7. Decalog. c. 18. dub. 7. n. 3.* Marchin. *ordin. part. 1. l. 5. c. 6. n. 8.* Barbosa *de Offic. et potest. Episcop. part. 2. allegat. 4. n. 7.* ubi citat Rotam Romanam, *decis. 327. n. 3. p. 1. div. et Doctores in c. Rodolphus 35. de Rescriptis, per text. in l. Filios 3. Cod. de municip. et originariis, qui textus ad originem supponit domicilium esse necessarium, quapropter si casu alibi filius nascatur, seu in aliquo alio loco per transitum natus sit, ibidem non contrahit, sed sequitur domicilium patris, ubi ipsum habet; quamvis enim aliqua jura dicant originem contrahi, ubi quis natus est, non expresse loquuntur ex sola natiuitate: unde intelligenda sunt, quando quis natus fuerit in domicilio patris, non vero alibi casu, aut quando peregrinus fuerit, ut ex citatis recte tradit Amostaz. *de Causis piis lib. 4. c. 7. n. 7. et 11.* et alii.*

(71. Hinc si legatum v. g. relictum sit pro puellis originariis alicujus loci, debetur illis, quæ ibidem natae sunt, non casu, aut per transitum, sed quando pater domicilium ibi habuit, aut est locus, ubi pater natus est, aut de jure communi, ubi Avus natus fuit; et neptæ natae in ejus potestate. Sic expresse Amostaz. *loc. cit. n. 11.* et concordant omnes supracitati et alii.

(72. Civis originarius, ac naturalis paterna patriæ dicitur quis, etiamsi natus sit extra patriam originariam occasionaliter, quia nempe parentes ibi morabantur occasione officii, feudi, Militiæ, mercaturæ, et hujusmodi; *l. Adsumptio 6. § 1. ff. ad municip. l. Si ut proponis 2. Cod. de municipibus; l. Hujusmodi 284. § Legatum, ff. de Legat. 1.* Vide supra numer. 48. 49 et 50.

(73. Civis originarius esse non desinit, qui alibi necessarium, vel occasionale domicilium habet. Rota *coram Durano decis. 31. num. 4. cum seq. et p. 5. recent. dec. 137. num. 13. et part. 13. dec. 364. num. 7.* Bertazzol. *consil. Civil. 56. n. 14.* Peregrin. *consil. 126. n. 7. usque ad fin. lib. 5.* Pitonius *part. 4. discept. 122. num. 8.* et alii passim per text. *in l. Adsumptio 6. § 1. et 2. et l. ejus 27. § 2, ff. Ad municip. Vide supra numer. 52.*

(74. Civis domiciliaris alicujus loci dicitur, qui ibi, licet aliunde oriundus, jam per decennium habitat cum animo perpetuo ibidem permanendi. Sic Doctores communiter per text. *in l. Cives 7. Cod. de Incolis. l. Municipem 1. et l. Adsumptio 6. § Jurisprudentialibus; ff. Ad municipalem.* Vide supra n. 54. et 55. et 59. ubi assignatur, ex quibus

conjecturetur animus alicubi perpetuo permanendi.

(75. Potest quis eodem tempore esse Civis domiciliaris plurium locorum, si in eisdem habeat domicilium et bona, cum supportatione onerum Civicorum; *l. Labeo 5. l. Adsumptio 6. § 2. et l. Ejus 27. § 2. ff. ad municipalem; Rota p. 5. recent. tom. 1. dec. 177. num. 50. et part. 8. dec. 177. n. 11.* Vide supra n. 60.

(76. Et sic esse Civis alicujus loci, et habere incolatum, et domicilium in alio. Rota *part. 8. n. 3. recent. cit. dec. 177. num. 12.*

(77. Ac sic privilegia assequi tanquam Civis diversorum locorum. Rota *p. 19. recent. tom. 2. dec. 459. num. 17.* cum aliis ibi allegatis. Vide supra n. 61.

(78. Civis ex privilegio dicitur Civis verus, et proprius, non minus ac Civis originarius; *leg. Municipem 1.* ubi Glossa, et Bartol. *num. 16. ff. ad municipal. l. Cives 7. Cod. de Incolis; Aretin. in l. 2. in princip. vers. Nam si Civis creatus, ff. de verb. obligat. Castrens. consil. 37. lib. 1. Ruin. consil. 227. num. 2. lib. 1. Bald. in l. 3. § Hæc verba num. 2. ff. de negot. gest. Rocca *disp. select. cap. 83. n. 1.* cum abis innumeris ibi citatis. (79. Et eadem Civitas ex privilegio transit in filios alibi quoque natos, licet de illis non fuerit facta mentio in concessione; *l. Adsumptio 6. § Filius, ff. Ad municipal. et Clarius in l. Libertus 17. § Patris, ff. eod. l. Filios 3. Cod. de Municipibus; Bartol. in d. l. Libertus § Patris; Bald. in l. Non plures, Cod. de sacrosanct. Ecclesiis. Menoch. *cons. 165. num. 6. lib. 2.* Peregr. *cons. 126. num. 2. lib. 5.* Rocca *loco cit. num. 2.* cum pluribus aliis ibi allegatis.**

(80. Quamvis autem Princeps per suum privilegium possit creare Civem exterum, qui gaudeat omnibus immunitatibus, et prærogativis, quibus gaudent alii originarii, non tamen potest facere, ut sit originarius. Rota *coram Seraphin. decis. 1251. num. 9. et part. 9. recent. tom. 1. dec. 180. num. 9. et 10.* Bartol. *in l. Si is, qui pro emptore n. 23.* ubi Jason. *num. 120.* et Bologn. *num. 224. ff. de usucap. et alii.*

(81. Si enim statutum, seu dispositio aliqua requirat, quod aliquis sit verus Civis, ista verba sunt naturalia, et non possunt verificari in qualitate Civili acquisita per Rescriptum Principis, ut ex communiori sententia tradit Lara *de annivers. lib. 2. cap. 4. num. 95. cum seqq. et num. 196.* Rota *p. 9. recent. tom. 1. dec. 180. a n. 6.* cum aliis ibi citatis per text. *in l. fin. Cod. de his, qui ven. ætat. impetr.* ubi ætas 26 annorum completer tantum annorum curriculum, non vero imperiali beneficio.

(82. Hinc cum statutum, seu dispositio aliqua requirit, ut quis sit verus Civis origine propria, et paterna, excludit legitimum, cum filius legitimatus non dicatur verus Civis in sui origine, sed efficiatur per fictionem ex post facto, et ubi qualitas requiritur in origine non sufficit, si superveniat. Rota *coram Seraphin. dec. 1300. ad fin.*